







DE  
VOMITV CRVENTO

---

17

D. XVI. IUNII MDCCCLXXXI.

PRO  
DOCTORIS MEDICI HONORE

RITE IMPETRANDO

PUBLICE DISSERET

LEVI MARCVS,  
KOREFIO - POLONVS.



---

TRAIECTI AD VIADRVN,  
E TYPOGRAPHEO APITZIANO.





DE  
VOMITV CRUENTO

D. XII. MCM. CXXXIX.

DOCTORIS MEDICI HONORIS

ALII IMPERATORIS

FRANCISCAE

II. A. M. D. C. V. S.

FRANCISCAE

FRANCISCAE  
II. A. M. D. C. V. S.







## PROOEMIUM.

Quidam medicinam derisurus, eam, omnis incapacem opis, virtute soli naturae debita sese ornare, putans, cultores eius viatori cuidam comparabat, qui leporem eminus animaduertens, suum itaprehendit baculum, ac si sclopeto feram peteret; hacque

A 2

sub-



subito concidente, (latentis venatoris ietu) magnopere gauisus est, multisque laudibus virtutem suam in venando extulit. At enimvero medicinae fines neminem minus latent, quam peritos medicos, quotidiano rerum vsu edoctos, reluctante virium corporis animalis efficacitate, vanos irritosque esse omnes artis medicae conatus, quin sine vlllo medicinae auxilio, has ipsas vires saepissime solas sufficere ad debellandos morbos longe grauissimos. Quare his in morbis otiosos spectatores potius agere solent egregii medici, quam male sedulos artifices, probe gnari, virium energiam, si fuerit ad morbi impetum satis adcommodata, neque vehementia peccet, neque iusto remissius agat, admodum et illaetabili plerumque cum euentu turbari praeposteris nonnullorum hominum consiliis. Sed in hoc imprimis medici prudentia vel maxime spectatur, vt circumspiciat, et plane cognoscat, vtrum solius naturae vires morbo  
abi-



abigendo pares sint, nec ne? Porro cedro dignius effatum omnium medicorum longe sapientissimi, comendatissimum sibi habeant omnes, quotquot medicinam faciunt: naturam eo ducendam esse, quo vergit. Vtinam hoc curae cordique habuisset medicus, quem nuper vidimus vomitum cruentum, e suppressione mensium ortum, admodum multiplici remediorum apparatu vexasse, de illis auxiliis plane non cogitans, quibus haec menstruorum suppressio eleuaretur, licet surdum et naturae voci non auscultantem medicum, ea ipsa, mucoso profluuio ex vtero excitato, de officio suo satis moneret, viamque, qua ingredi fas esset, vel digito quasi ostenderet. Periit proh dolor infelix faemina cachexia et hydrope. Hoc funestum huius morbi exemplum mihi in primis animum addidit, vt cruentum vomitum in libello academico pro viribus illustrem, qui iam a me conscribendus erat, ad demerendos doctoris medici honores.





res. Caeterum, si quid in eo est, lubenter ac grato confiteor animo, me nonnulla quidem cel. MORGAGNIO et STOLLIO, plurima autem experientiis praeceptisque celeberrimi professoris BERENDS, praeceptoris mei, quoad ero, mihi summe venerandi, debere. Vellem, tanti ingenii praeceptore digna proferre potuissem!



§. I.

*Descriptio morbi.*

**P**raecedunt plerumque nausea, magna anxietas, immo instans lipothymia; dolor oppreffiuus ac tumor in cardia et utroque hypochondrio; mox inter quaedam vomendi conamina sanguis nigrescentis coloris ac coagulatus eiicitur, ad librae vel selibrae pondus, et nonnunquam multo maiori quantitate, ita, ut lethalis fiat haemorrhagia; magna comitatur accessionem virium iactura, pallor, extremitatum frigus, febrisque, cum pulsu celeri, paruo, retracto. Saepe morbus iam per quoddam temporis spatium cum leuibus ventris, thoracisque affectionibus obrepit, hypochondriaci morbi more. Subinde etiam per aluum, quamuis paucior, talis defluit sanguis.

§. II.

*Discrimen inter vomitum cruentum aliosque  
similes morbos.*

Horum symptomatum ac morbi naturae ratione habita, certe nemo hunc sanguinis vomitum cum aliis sanguinis per os eiectionibus confunder; distinguitur enim ab haemoptysi sanguine nec laete rubro, nec fluido, nec spumoso, cibis aliisque ventriculi contentis, commisto, et nausea praecedente, absentia tussis, et illo sanguinis per aluum secessu;

B

ab



ab illa autem haemorrhagia, ubi praecedente circa  
 vuulam titillatione, doloreque lancinante et ardore,  
 sanguis absque tussi, non feruidus, non spumofus,  
 e faucibus solo screatu, vel simplici sputatione ore  
 eiicitur, qualem de HELLWICH sub nomine haemorrhoidum  
 oris descripsit, absente plerumque  
 omni nausea ac vomendi conamine; illud autem  
 sanguinis sputum, quod scorbutici aliique subinde  
 patiuntur, sanguine ex gingiuis exsudante, pro vo-  
 mitu cruento ducere, certe nemini in mentem vene-  
 rit. Sed eo maior habenda est ratio, ne noster mor-  
 bus confundatur cum illo humore nigro, piceo,  
 quem veteres atram vocabant bilem; hic enim ad-  
 sunt nausea, conamina vomendi, vomitus ipse, immo  
 adest etiam lipothymia; tamen quaecunque illius hu-  
 moris sit indoles, siue bilis corrupta, vt in BVDABI ac  
 SCHOBERTI obseruationibus, siue cui atra quaedam  
 pars ex sanguine ita accessit, vt colorem indueret ni-  
 grum, satis superque a vomitu cruento distingui pot-  
 est; ille enim nunquam antea sanos corripit, sed  
 tantum diu obstructions viscerum passos, hic sanif-  
 simos, sola plethora; ille maximo cum vitae disci-  
 mine instat, saepeque inter XXIV. vel XLVIII. ho-  
 ras necat, hic rarius tale inducit periculum; in illo  
 semper eadem picea materia per aluum deiicitur; in  
 vomitu cruento sanguis magis sincerus. Morbus ni-  
 ger diuturnos iam fouet infarctus intra ventriculi ac  
 intestinorum parietes, et inde etiam facilis eius in  
 gangraenam transitus patet.

§. III.



## §. III.

*Causarum explicatio.*

In naturam huius morbi non adeo rari iam antiqua aetas inquirebat; et multa ad eius historiam dici possent, sed breuitatis ratio habenda, et in rem maxime spectantia tantum exponenda sunt. Veteres clara ac distincta circuitus sanguinis cognitione destituti, saepe in aegris vomitu cruento affectis lienem obstructum, naturalem magnitudinem longe superantem, animaduverterant; detexerunt etiam certos canales, vasa breuia dictos, a liene immediate et per tam breue iter in ipsam ventriculi fundum proficisci; et quid mirum, eos haec phaenomena non solum contemplatos esse vt causam ac effectum, sed sanguinem etiam vomitu eiectum a liene in ventriculum effusum putasse? Hinc itaque solis vasis breuibus praeternaturaliter referatis omnem adscribere vomitum cruentum. Nec eos quidem latebat, et ex hepate viam patere, sed per hanc fluxus alui nos sanguineos deduxere. Immo effusionem sanguinis in ventriculum, e vasis breuibus, praecipue illis venosis, deriuarunt, quoniam per hanc venam sanguinem ad ventriculum deferri, credebant. Sed legibus circulationis perspectis, alia formanda est aetiologia: scilicet, vasa breuia venosa ad ramum splenicum sua liquida ablegantia sanguinem in ventriculum effundere, illis repugnat; et ipsae hae circulationis leges neminem nunc haesitantem relinquent, quin potius arteriae, tanta copia ventriculo prospicientes, tam multis ac



innumeris apicibus vel osculis in stato sanu liquorem  
ferosum exsudantes, inque interiorem eius superficiem  
penetrantes, referatis his osculis quacunq; vi di-  
stendente vel dilatante, sanguinem effundant. Quod  
certe ita omnem superat dubitationem, ita naturae  
rei consentaneum est, vt ulteriori demonstratione  
sane non egeat. Tamen nimis praecipiti passu ire  
videmur, si hanc viam solam sequamur, illamque  
veterum, vt prorsus absonam, relinquamus plane. Nam  
de vasis arteriosis breuibus hoc iisdem rationibus ac  
de ceteris ventriculi arteriis contendere potest; in ve-  
nosis autem vasis breuibus hoc fieri posse, ex ana-  
logia aliisque phaenomenis pathologicis concludere  
licet. Habemus enim et alios fluxus sanguineos veno-  
sos, aequae contra circulationis in statu sano leges,  
peccantes. Quem enim fugit ille fluxus sanguinis  
haemorrhoidalis? Nonne e venis oritur? Sanguis  
nempe naturali suo fluxu progressiuo impeditus, stag-  
nat, retrocedit, regurgitat quasi; sed eodem modo  
et in vasis venosis breuibus haec sanguinis regurgita-  
tio, et ideo fluxus eius in ventriculum locum habet.  
Immo et ex eo possibilitatem talis regurgitationis colli-  
gere licet, cum natura de eadem sollicita ceteris ve-  
nis prospexerit, his vero denegauerit valvulas; et  
certe quamuis primo intuitu venis longe minus acti-  
uarum virium, quam reliquis systematis sanguiferi  
vii, inesse videatur, ita, vt etiam refluxus sanguinis  
versus cor maxime impetui a tergo vrgentis sangui-  
nis arteriosi, et valvulosae earum structurae tribuen-  
dus sit; tamen in venis non vno ex argumento vita-  
les



les quaedam vires insunt; et minimis fortasse similis motus quidem oscillatorius ac vibratilis, quamuis minor inest, qualem arteriosa vasa exferunt, qui in venarum finibus, siue potius incitiis, vitiatas, sanguinis regurgitationi fauere possit.

§. IV.

*Continuatio.*

Quae autem de venis lienis breuibus dicta sunt, simul de ceteris venis ventriculorum perreptantibus valere videntur; iisdem enim viribus sanguis in iis mouetur; aequae valvulis, relapsui sanguinis obstantibus, carent, ac vasa breuia; aequae igitur sanguinem in ventriculorum fundere in rarissimis forte exemplis possunt. Tres igitur fontes habemus, quibus sanguinem effusum deducere licet: primo nempe ex arteriarum ultimis osculis, secundo e vasis breuibus et arteriosis et venosis, et tandem e ceteris ventriculi venis. Nunc alius adhuc nobis obuenit fons. Supra iam meminimus, patere posse viam ex hepate; si nempe quacunque de causa distendente, erodente, lacerante, dilatante, sanguis illa vasa bilifera, ductum hepaticum, choledochum, aut ex eorundem parietibus, aut hepate ipso, intrat; tunc necessario in intestinum duodenum profectus, suo praeternaturali irritamento motum peristalticum inuertet, inque ventriculorum regurgitabit, vomitumque cruentum excitabit.



*Continuatio.*

His peractis, nunc ad plenam causſae proximae imaginem ſiſtendam, reſtat, vt cauſſam formalem huius haemorrhagiae dicamus. Videtur autem omnis ſanguinis fluxus requirere, vaſorum loci affecti laxitatem, ſiue natiuam, ſiue mala diaeta aut morbis praegreſſis ortam, ad quam deinde accedit, cauſſa rumpens, dilatans, erodens. Et hic itaque optime ſtatu poteſt, vomitum cruentum fieri: per rhexin, vel mechanicam quandam lacerationem, ſiue externam violentiam, vt venena mechanicæ agentia, aliaque aliena corpora deglutita, (ſic veteres a ſanguifugis deglutitis vomitum cruentum obſeruarunt): ſiue internam, ſanguine nempe tanta vehementia ac impetu vrgente, vt vaſa diſrumpat; (per diaereſin) per diabroſin, vel chemicam quandam eroſionem, in venenis acribus conſpicuam, vel per humores ipſos, inquilina quadam acrimonia vitiatos, nempe putrida, ſcorbutica, morbilloſa, varioloſa, eryſipelacea, epidemica ſpecifica; per anaſtomofin, ſiue magnitudinem oſtii praeter modum auctam, ſi immodica a deſt laxatio luminum vaſorum, quibus admittunt vel emittunt, vnde fit, vt aliud quid, quam lex ſanitatis exigit, exeat; quo etiam facit nimia tenuitas et diſſolutio humorum putrida vel ſcorbutica, quae tamen cauſſa non ſine diabroſi cogitari forte poſſit; tandem per diapedeſin, fibris membranas contextentibus ita diſtractis, a mutuo contactu ita recedentibus, vt in-

ter-



terficia, absque vlla continui solutione, hiantia nascantur, quae textilis ad instar transudare finant humorem continendum; producitur vt anastomosis dilatatione magis magisque aucta, aut certe sub iisdem fere conditionibus.

§. VI.

*Continuatio.*

Sed ad omnia haec vasorum ac eorum luminum vitia requiritur moles vberior congesta, vel sanguis maiori vehementia impulsus, quam vasa statu sano continere possunt, vt ita obruta cedant vitiaque illa admittant; plethoram igitur et praecipue accedente vehementi febre, vel aliis de causis commotam, inter causas vomitus cruenti enarrari oportere, neminem latebit; praegressa nempe quadam vasorum ventriculi debilitate, certe copia ac motu nimio vrgentibus, sanguis facile erumpet; sed et multa sunt, quae absente etiam plethora vniuersali, hic congestionem sanguinis localem determinatamque efficiant. Ex lege enim naturae irritamentum quodcumque in parte quadam insidens maior sequitur sanguinis affluxus; porro si impedimentum quoddam sanguis offendit, aucto impetu, in vicinas aut consentientes partes ruit; quam late autem ventriculus consensu et plurimorum ventris viscerum vicinitate polleat, neminem fugit. Impedimenta autem, siue motum tantum sanguinis retardent, siue profluuium sanguinis





nis, aut naturale, aut consuetum, impediunt; eundem producent effectum, congestionem nempe sanguinis versus ventriculum. Talia autem obstacula praebent aut obstructions viscerum vicinorum, aut spasmi. Hinc quatuor sunt, quae maxime sanguinem ad ventriculum pellunt: acrimoniae in ipso ventriculo hospitantes, obstructions, spasmi et tandem sanguinea profluvia aut naturalia, aut consueta suppressa. Postrema quidem causa, et ipsa saepissime ab obstructionibus et spasms pendet; tamen cum et per se vomitum cruentum excitare possit, et saepe a longe aliis causis oriatur, proprium format genus; vnde principes species huius morbi intelliguntur.

§. VII.

*Continuatio.*

Ad irritamenta sanguinem in ventriculum quasi allicientia, omnia pertinent ingesta, quae singulari modo ventriculum afficiunt vel irritant; eo quoque pertinent acrimoniae quaecunque in ventriculo saepe orientes, vt acida, putrida, rancida; aut foris eo delatae, venena, miasmata quaedam, aut ex humoribus per metastasin depositae; quo faciunt in primis acrimoniae ferrosae, ipsa materies transpiratoria retrogressa; nec vero est absimile, quum dysarthritidis vomitum cruentum saepe praecedat, materiam arthriticam, singulari, qua pollet, acrimonia, hunc morbum producere posse; neque dysarthritidis sine viscerum



rum abdominalium obstructionibus esse solet. Rarissime quoque forte fieri posset, ut processus eniformis retropressus vomitum excitet cruentum, diuturna irritatione.

### §. VIII.

#### *Continuatio.*

Obstructiones viscerum inter causas congestionum retulimus, quarum efficacia ad producendum vomitum cruentum eo maior existimari debet cogitantibus, ventriculi omnes venas, vel immediate, vel beneficio lienalis venae, ad portarum venam sanguinem suum dimittere, hincque facile cognoscitur multiplex congestionis et exsudationis sanguinis in ventriculum origo. Siue enim minor sanguinis quantitas hepar adeat per arteriam propriam, indeque maiori impetu ruat in vicinas ventriculi arterias, siue propter obstructum hepar sanguis lento itinere redux fiat ad portarum venam, sicque in lienis vasculofo laxissimoque viscere stagnet: utraque ex causa ventriculi vasa vim pati, sanguinemque suum in ventriculi canum facile effundere posse, patet. Eaedem prope causas sanguinem in bilarios ductus nonnunquam vrgere posse videntur, ex quibus ad duodenum intestinum ventriculumque delatus tandem vomitu reiicitur. Dispar tamen est ratio, longeque alia morbi forma, si ex hepatis ulcere, cum sanguine pus per easdem vias ad ventriculum defertur.

C

### §. IX.



*Lien, quomodo vomitum cruentum excitet?*

Lien autem non solum obstructione, traiectu sanguinis per eius vasa impedito, vomitum efficit cruentum, sed et magnitudine nimia, quae saepe febres diurnas intermittentes sequitur, et qualem CHRIST. VATER *a)* ad humani capitis magnitudinem, AETIVS ad inguina pertingentem se vidisse asserunt: ut exempla omittam, quorum NICOLAI *b)* et HOFFMANNVS *c)* mentionem faciunt; hic enim pondere librarum quindecim, ille vero selibra grauiorem splenem inuenerunt, vterque ita, ut diaphragma in sinistro latere ad costas superiores compelleret. Comprimuntur nempe tali splene modum excedente, praesertim repleto ventriculo, vasa eius breuia, turgent haec sanguine retento, qui in ventriculi cauum facile dilabitur. Laxitas autem cellulosi huius visceris maxime tumori opportuna est. Quam speciem vomitus cruenti veteres cum cernerent, falsam in opinionem deducebantur, sanguine in splene collecto retentoque omnem vomitus cruenti causam vnice contineri. Quae veterum opinio facile refutatur ex obseruatione, qua constat, a largo sanguinis vomitu, lienem non solum haud detumuisse, sed potius increuisse; ad laxitatem nimirum huic visceri

PRO-

*a)* Eph. N. C. Dec. 3. A. 9 et 10. Opf. 165.

*b)* HENR. ALB. NICOLAI *commerc. litter. A.* 1732. Hebd. 733. n. 2. ad 5.

*c)* MAVRIC. HOFFMANN Eph. IV. C. Dec. 3. A. 9 et 10. in append. n. I. Obs. 5.



propriam cum accessisset magna sanguinis profusio, viriumque vniuersi corporis summa iactura, circulatio in eo segnior reddebatur, ac aegrius promouenda; sanguis itaque in eo viscere magis restitare, ipsumque magis laxare, ac maiorem in peripheriam distendere debet. Silentio autem praetermittam, liennem scirrhosum et eius infarctus, saepe febres chronicas quartanas male curatas, secutos; mentionemque tantum iniuciam lienis steatoma recondentis, cartilaginei, ossei, ac lapidosi: si enim re vera adfint eiusmodi vitia, ex dictis iam, quo modo sanguinem in ventriculum compellant, patet.

§. X.

*Alia huius morbi origo.*

Porro ad ortum huius morbi e vena portarum pertinent huius venae origines ex intestinis et mesenterii, si sanguine nimio et pigro onustae fuerint; tunc enim circulatio sanguinis in abdomine retardatur, arteriae sanguine multo grauidae porro venientem non excipiunt, sanguis itaque maiori copia in alias vrget partes, et praecipue in ventriculum, cui arteria meseraica ramo prospicit.

§. XI.

*Intestinorum sordes et vermes.*

Tandem magna mucis obstruentis copia, vasa premens reuehentia, regurgitationem ac vomitum



efficere possunt sanguinis. Huc pertinere videtur ille sanguinis vomitus, quem nonnulli vermibus tribuerunt; cum his enim semper magna muçi coaceruatio coniuncta est, nec non viscerum quaedam abdominalium labes; quae vti vermium progeniei fauet, ita quoque nostrum morbum excitasse, existimanda est.

§. XII

*Spasmi.*

Iam ad spasnum, congestionem sanguinis in ventriculum determinantem, respiciamus. Pallor, frigus extremitatum, et multa alia, quamuis prostrationem virium, iactura sanguinis ortam, sequi possint, tamen spasnum adesse euincunt; qui certe vtplurimum causam morbi formalem sistit. Nec mirum, cum tam multa sint, quae spasnum excitare possunt; praesto enim sunt hoc in morbo irritamenta diuersa, quae spasnum arcessere possunt. Commemorare tantum iuvat dispositionem hypochondriacam et hysteri-  
 cam. Agit autem spasmus, vasorum caua in iusto minus spatium contrahendo, sanguinemque ad interiora repellendo; quod si in visceribus imi ventris fiat, facile sanguis in cauitates viscerum abdominalium promanabit. Inde patet, febrem, si in spasmo eius natura recte ponitur, vel hac de causa morbum nostrum progignere posse; quo tamen etiam faciunt humorum secessus, crasis vitiata, et obstructions viscerum a febre oriundae. A vomitu sanguini-



guinis plane abnormi, vel etiam a sanguine putrido  
retentoque, vniuersales spasmos oriri, inter omnes  
constat.

§. XIII.

*Vomitus cruentus actiuus.*

Denique vomitus cruentus vere actiuus dicen-  
dus est. Enarratas enim species, illam a plethora  
febrequé inde orta si excipias, ad morbos spectare  
passiuos, certum est; adfunt enim in his non saluta-  
res solius naturae vires finesque, sed alia impedinen-  
ta, contra quae vano plerumque conatu natura mo-  
litur. Actiui autem illi vomitus sanguinis dicendi  
sunt, per quos natura, saluis et integris visceribus,  
sanguine molesto se liberat; quod inprimis accidere  
solet in retentione profluuiorum sanguinis, vel natu-  
ralium, in sequiori praecipue sexu, vel consuetorum  
quoruncunque.

§. XIV.

*Menses.*

Et primam quidem huius generis speciem oc-  
cupant menses suppressi: hic etiam vomitus cruentus  
duplici oritur e ratione; primo sanguinis fluxu per  
hanc viam impedito, ad alia sanguis defertur vasa sibi  
connexa, regurgitatque, ventriculumque opplet; forte  
etiam consensus aliquam sibi vindicat partem; dein-  
de per plethoram vniuersalem, e suppressione mensium



ortam. Fieri autem hac de causa talem repletionem in vasis ventriculi sanguiferis, et exinde colligere licet, cum per saepe in gravidis, euanidis menstruis, vomitus adest, non ex fordibus primarum viarum, sed solum a nimia repletionem ac extensionem vasorum ventriculi explicandus. Neminem quoque errores loci fugiunt, quales saepe natura in alienissimis partibus molitur.

## §. XV.

*Haemorrhoides.*

Par est ratio fluxus haemorrhoidalis consueti suppressive, vel etiam eius, quem natura molitur. Similis enim regurgitatio in ventriculum, similis plethora locum habet, et tandem similis error loci; et hinc connexionem haemorrhoides inter et vomitum cruentum perspicimus, cum hic saepe illis sanatur. Duae hae vomitus cruenti species, omnes qualescunque illustrant, ex aliis haemorrhagiis temere suppressis oriundas. Tandem huc spectare videntur et alius humoris non sanguinei excretionem impeditae; maxime autem si vlcus aliquod, aut naturale, aut artificiale, praepostere, vel mala arte, vel sponte cicatricem ducit. Tunc enim quantitas illa sanguinis, qua natura ad generationem puris vitur, in humorum massa relictæ, plethoram aliquam parit, indeque, vt aliae haemorrhagiae, vomitus quoque cruentus excitatur. Haec vero omnia singulaque pariter, atque ipsi sanguinis grumi, ventriculo molesti, per spas-



spasmos siue irritationem aliquam agere, diximus, causam morbi formalem explicantes.

§. XVI.

*Vomitus cruentus ventriculo illaeso integroque.*

In prole recens nato, post sectionem frenuli sublingualis, itidemque si e mamma nutricis sanguinem loco lactis fugit infans, vomitus cruentus obseruatus est. Simili modo sanguis e cavitare oris nariumque in ventriculum depluere, exque eo vomitu iterum excuti poterit. Ita quoque longe aliis grauioribusque in morbis ex hepatis et pancreatis vomitis cum pure nonnunquam sanguis ad ventriculum defertur. In recentis casibus ventriculum omni culpa vacare, certum est. Longe secus res se habet, si e scirrhusa ventriculi obstructione, quae carcinomatofum vlcus minatur, sanguis plerumque acer et atrabilarius prouenit. Quo in immedicabili malo, ventriculum ipsum magnam laesionem accepisse, patet.

§. XVII.

*Prognosis.*

Morbus hic vix quidem vnquam periculo caret; actius tamen quandoque et fere criticus reperitur in plethoricis, imprimis si, cum integris visceribus, alia sanguinis profluvia subito cessarunt, vel  
mala



mala arte perpeffa sunt. **P**osse tamen et hanc  
crifin abnormem, ideoque ambigui exitus fieri, cer-  
tum est. Si vero vomitus cruentus naturam morbi  
paffiui habet, fanguinis excretio haec, vel plane nul-  
lum, vel faltem infidiosum nec durabile, commodum  
aegrotis infert.

§. XVIII.

*Continuatio.*

Maius minusue huius morbi periculum sin-  
gulares casus, habita maxime ratione cauffarum, fa-  
cile ostendunt. Rarius subito neeat vomitus cruen-  
tus ex inanitione, quod in aliis fanguinis profluu-  
is folemnus est, nifi grauem aliquam externam iniu-  
riam ventriculus nactus fit. Sequitur tamen facile  
tanta fluidorum penuria vitiataque crasis, tantaque  
virium imbecillitas, quae morbis cachecticis hydro-  
picisque viam sternere poffit. Ex acrimonia ortus  
longe periculofior morbus censendus est, ideoque  
mali admodum ominis in febre putrida, variolofa,  
fcorbuto, ictero diuturno, hydrope. Nec boni  
ominis ille fanguinis vomitus, qui ab obstructione  
cuiusdam visceris ortum ducit; et hic enim feque-  
las illas, cachexiam hydropemque, fouet, adiuuatque.  
A spafmo natus impetuofior effe folet, et pro natura  
ftimuli vel magis minusue periculofus. Symptoma-  
tici illius vomitus cruenti, qui quandoque venena  
acria et cauffica fequitur, periculum fummum effe,  
qui-



quiuus facile intelliget. At enimuero inprimis notatu dignum est, hunc morbum ad recidiuas admodum pronum esse, eoque certius hominem occidere, si aliquoties prehenderit.

§. XIX.

*Morbi therapia.*

Nunc ad curam huius morbi delati, communia praefidia primo loco dicemus, deinceps addemus illa, quae in singulis speciebus pro diuersitate causarum a perito medico in usum vocari debent. Altera vero est cura morbi, quam in ipso eius impetu, altera, quam extra paroxysmum medicus gerat. Primo itaque omnem opem ferat, ut imminuatur nisus cruoris in ventriculi vasa, deriuando et reuellendo sanguinem a laeso viscere. Huc omnia spectant reuellentia ac deriuantia; quies imperanda est summa; proderit enema frequenter iniectum, emolliens, leniter irritans, ut humorum motus ad intestina magis determinetur, atque adeo minus impetum faciat in ventriculum. Phlebotomiam multi in auxilii partes vocant; sed raro certe huius remedii datur opportunitas atque vtilitas. Sanguinem enim in ventriculi cauum iam diffusum, nulla ope in circulationis vias reuocabis; et tandem in quonam morbi stadio eam institues? in paroxysmo pulsus est paruus, retractus; qui denotat spasmus et ipsa febris initia, in quibus euacuatio sanguinis nemini in mentem venerit; tra-

D

&c



cto autem per vomitum cruoris morbi impetu, nihil emolumenti afferet, debilitatem potius, quam haemorrhagia reliquit, augebit. Igitur, nunquam sanguinem mittet prudens medicus, nisi morbus a manifesta plethora origines duxerit, quod fieri oppidum rarum est. Maximae vero utilitatis est, pedes manusque in aquam tepidam, cui nonnunquam recte vinum admiscetur, dimitti; duplex est huius remedii dos, deriuat, spasmumque in corporis peripheria soluit. Laudandum quoque est vesicatorium aliud rubefaciens, ad furas deriuandi, ad epigastrium reuellendi scopo, admouendum. Praesenti spasticae ventriculi constrictioni optime medetur unguentum ex althea et laudano in ventriculi regione inungendum. Tandem quamuis effuso sanguine vasa per se contrahi videantur, tamen adstringentia locum forte obtinere possunt, praecipue in grauioribus ventriculi haemorrhagiis; siquidem ea immediate ad locum affectum, quasi vulneratum, ad ipsos arteriarum aut venarum apices disruptos, aut nimis dilatatos, applicata, facile suam vim exserere possunt. Cum contra aliis in haemorrhagiis, si immediate ad vasa laesa applicari adstringentia nequeunt, peculiaris vel specialis exigatur consensus, inter ventriculum et partem affectam, ut voto respondeant. Per circulationis enim viam, ut ad remotius viscus deferantur, et sic vasa, immediate attingendo, adstringant, ne cogitari quidem potest; nonne enim maxime pertimescendum est, ut totum vasorum systema, et praecipue pulmonale contrahant, et sic lethi-



thiferae obstructioni ansam praebeant. Vix vero, ac ne vix quidem, illud fieri posse, ego saltem existimarem, cum sibi ipsis, adstringente sua virtute, aditum ad vasa lymphatica lacteaque praecludant. Adde, quod contrahendo abdominalia viscera, sanguinem ad partem remotam laesamque magis propellant. Neque tamen plane inficiari voluerim, ex singulari consensu legibus nonnunquam praesentissimam opem ferre adstringentia, ad ventriculum vix delata, in persanandis remotorum viscerum haemorrhagiis, quod inprimis vterinae haemorrhagiae exemplo patere potest. Sed partim singularis ille consensus, duce experientia, exploratus esse debet; partim sedulo monemus, non aequae securam semper esse hanc medicinam, quam efficacem.

§. XX.

*Idem argumentum.*

In usu horum adstringentium, ut et omnium interne adhibendorum, maxima habenda est cura, ne quid ventriculi sensibilitatem nimis irriteret, aegroque nauscam, novumque sanguinis vomitum excitet. E temperantium medicamentorum tribu, conveniunt quidem potus leniter nitrosi et demulcentes, aqua simplex, frigidiuscula, cum succo citri, ribesiorum, acido vitrioli admodum diluto, quae ventriculo amica ac grata sunt. Sed omnia haec longe antecellit sal tartari acido citri saturatum, multaque

D 2

aqua





aqua dilutum. Tandem generalis medendi ratio maxime iubet, fracto iam haemorrhagiae impetu, sanguinem ad intestina deuolutum euacuare; id quod praestant remedia leniter aluum ducentia, ut fructus tamarindorum, cremor tartari, manna, atque rheum, frequenti, sed exigua dosi, exhibitum. Grata acida, quae modo laudauimus, inprimis uero mineralia, alcohole temperata et dulcificata, animi deliquiis uiriumque exsolutioni optime medentur.

§. XXI.

*Therapia specialis.*

Haec de generali curandi methodo sufficiant! Quod si nunc ex illis, quae praecesserunt, ex praesentibus, uel aegrotantis adstantiumque relatione causa innouerit morbi propior, contra hanc pugnandum est. Et certe quot species, tot quoque locum habent medendi rationes; has breuiter contemplari, iuuat. Plethora, orgasmus sanguinis, quietem summam, venesectiones caute ac in tempore instituendas, antiorgastica, refrigerantia requirunt; a suppressis si fuerit sanguinis euacuationibus naturalibus aut consuetis, reuellentia ac deriuantia ad illa loca, per quae alias excerni humores consueuerunt, indicantur, pariter atque illa remedia, quae causam ralis suppressionis tollunt. Natura euacuationis suppressionis cuius perito artificii amplissima remedia supeditabit; id tantum monere liceat, in suppressione perio-



periodici fluxus, vt mensium, omnem curam, prae-  
 cipue circa illud tempus, in reuocanda eiusmodi ex-  
 cretione collocandam esse, quo illam fieri solenne  
 est. Solet enim his inprimis temporibus vomitus  
 cruentus reuerti. Nec dici necesse est, et alias eua-  
 cuationes non sanguineas, si cessantes vomitum  
 produxerint cruentum, restitui debere; sic puris  
 consuetus effluxus, si deficiens hoc produxerit ma-  
 lum, restitendus est. Obstructiones si accusandae  
 sunt, aut hepatis, aut lienis, omnis methodus solu-  
 ens, resoluens, incidens adhibenda venit. Mucus  
 si peccat vasa comprimens, qualis in sanguinis vo-  
 mitu a verminosa colluue obseruatur, incidentia,  
 euacuantia, et tandem tonica in consilium recte vo-  
 cantur. Spasmi, antispastica, opium interne ex-  
 terneque beneficio clysmatum vnguentorumque ad-  
 hibendum, sibi poscunt. Si humorum nimia tenui-  
 tas, solidorumque laxitas morbum excitauerit, ro-  
 borantia, incrassantia, adstringentia recte expetun-  
 tur. Si a dissolutione humorum acri, vt in febribus  
 putridis etc. principis morbi cura habenda est, re-  
 mediis antisepticis, cortice, acidis mineralibus nupto,  
 aliisque similibus; diffitendum vero non est, hae-  
 morrhagias in morbis vere putridis v. c. febre vario-  
 losa, nulli hactenus cognito remedio cedere, sed  
 plerumque mortem cito subsequituram portendere.  
 Acrimonia humorum, cibi, potus, medicamenti,  
 veneni, exigit aquosa, oleosa, lactea, mucilagino-  
 sa, diluentia, vel specificè acrimoniam inuertentia.  
 Huc quoque facit, materie acri irritante iam maxi-  
 ma



ma ex parte eliminata, inflammationisque metu iam euanido, prudens opii vsus, quo nimia ventriculi sensibilitas imminuatur, et ad tempus saltem obtundatur! Si a violentia externa morbus hic est, summe antiphlogistica et blande resoluentia propinanda sunt, non omisso vesicatorio abdomini admouendo. Hoc quoque, subiuncto regimine diapnoico et leniter diaphoretico, summum praesidium est, quoties a perspiratione cohibita morbus noster forte ortus fuerit. Si cum pure ex hepate, liene aut pancreate sanguis ad ventriculum defertur, primarii morbi ratio potissimum habenda est, omnique ope curandum, ut pus blandum innocuumque reddatur, magisque per enemata determinetur ad intestina. Obstructiones viscerum abdominalium suis remediis abigendae sunt. Ulcus cancrosum ventriculi omnem quidem superat artem, tamen lenissime antisepticis, demulcentibusque palliativa curatio tentetur! Quare vana esse omnia specifica in vomitu cruento forte celebrata, patet.

§. XXII.

*D i a e t a.*

Victus ratio sit causae morbi accommodata; demulcens, incrassans, viscosa, gelatinosa, glutinosa in tenuitate humorum et acrimonia; in humorum orgasmo, refrigerans et acidiuscula; in plethorico, tenuis; in obstructionibus, aperiens, tonica,



nica, et leniter roborans. Fugiantur omnia acria,  
nimis detergentia, denique quaecunque aut irrita-  
tione, aut mole, aut relaxatione, aut nausea, no-  
uum sanguinis profluvium arcessere possunt. Prae-  
terea modicum tantum et facilis concoctionis aegro-  
tus sumat alimentum; diuque sibi caueat ab animi  
effectibus, commestatione, exercitatione valida, et  
intemperantia qualibet.





ERRATA.

pag. 12. lin. 1. loco: ftato fanu, leg. ftatu fano.

pag. 24. lin. 1. loco: perpeffa, leg. fuppreffa.




✓  
01 A 6631

ULB Halle  
004 931 246


3











DE  
VOMITV CRVENTO

17

D. XVI. IUNII MDCCCLXXXI.

PRO  
DOCTORIS MEDICI HONORE

RITE IMPETRANDO

PVBlice DISSERTET

LEVI MARCVS,  
KOREFIO - POLONVS.



TRAIECTI AD VIADRYM,  
E TYPOGRAPHEO APITZIANO.

